



§. I.



DE Cella veteri peculiari hoc Scripto ut agam exquisitius, & Monasteriū istius dignitas, quam olim præ se tulit, & Abbatum splendor, dudum ignorantiae nebulis obscuratus, & Monachorum, quos antiquo tempore aluit, fama, hodiernum sepulta, & descriptio ejusdem qualiscunque ab omnibus, qui alias Monasteriologia ex instituto tradiderunt, nescio ex qua causa, quo ve casu, omissa penitus atque neglecta, & tandem ejusdem ruderum curatior intuitus atque contemplatio me impulerunt.

Non est, ut de prioribus, quæ me ad hoc tentandum movere, hic agam fusius, cum id in subsequētib; alias ad oculum pateat. Quoad duo posteriora vero Te, *Benevole Lector*, non ignorare volo, hujus Monasterii expositionem neque *Hermannum Bruschiū* tum in *Monasteriologia sua* satis alias ampla, annoq; 1550. Ingolstadii primum edita, & dehinc anno 1682. Sultzbachii recusa; tum in *Supplemento suo*, sive *Gasparis Bruschi Centuria 2. Monasteriorum & Episcopatum Germaniæ*, quam ex Autoris autographo, in Vindobonensi Bibliotheca asservato, *Daniel Nesselius*, Consiliarius olim Cæsareus & Bibliothecarius Vindobonensis celeberrimus Vindobonæ anno 1692. in lucem emisit; neque *Gabrielem Bucelinum* in *Germania Sancta* operosissimè confecta, tradidisse; neque alium quem.

A

quem.